

neque virtutes separare nos poterunt a caritate Dei, quae est in Christo Iesu. Doloris, qui nos perimit, vehementia et excessus in eo praecipue fundatur, quia propter nos minimos indignosque filios suos non tantum P. V. A. R. acerbissima tot annis sollicitudine ac moerore affligi sentimus, sed insuper dilectissimam Matrem nostram Societatem omnem periclitari gravissima autoritate denuntiatur. Hoc enim vere est, quod in intima grassatur viscera, quod ipsam animam transverberat et inconsolabili ad mortem usque tristitia opprimit.

Multus hic esset locus pro innocentia et indemnitate Matris protestandi aequae ac deprecandi, si lacrimae et gemitus permetterent. Quamquam nec istud officii genus, quod superioribus annis per plures litteras sufficienter iam adimplere existimabamus, a nobis modo R. A. P. V. exspectat, sed alia tum subiectionis, tum innocentiae nostrae argumenta praecipit et exposcit. A. R. Pater, quantumvis forte videri possimus timore plusquam servili, nequam instar mancipiorum, ad frugem adigi et compelli, libere tamen profiteamur nos vero filiorum metu timere a mandatis, quae ex sanctissimi Domini nostri iussu et voluntate nobis iniungit, eamque cum omni qua par est humilitate ac submississima veneratione suscipere; utque istis extemplo et examussum obediamus, non infra subscripti Societatis Iesu sacerdotes viceprovinciae Sinensis, Pekini degentes.

1. coram Deo et secundum conscientiam nostram testamur, nos non minus prompte quam integre et exacte parere Apostolicis decretis, ad ritus Sinenses spectantibus, ministrando sacramenta, caeteraque missionum exercitia obeundo: praecipue vero sincera submissione ea omnia (quantum in nobis est) adamussum exequi, quae continet ac mandat constitutio Clementis XI incipiens 'Ex illa die'; cuncta iuxta tenorem iuramenti, quod ut obedientes praestitimus, sic per Dei gratiam sancte hactenus servasse confidimus, certe servare studuimus. Veruntamen cum executio decretorum perfecta a nobis solis non pendet, immo vel maxime a fidelibus Sinis, non possumus non, sic exigente rei veritate, iterum iterumque contestari, illam difficillime obtineri, nec nisi a perpauca curate observari, propter causas pluries iam enucleate perscriptas: indiscretius autem eandem urgere, sane quam periculosissimum esse, prout impraesentiarum (heu dolor!) acerbis minis exemplo experimur.

2. Similiter coram Deo et secundum conscientiam nostram testamur, nos apud Imperatorem Sinarum eiusque ministros neutiquam egisse, ut persisterent in proposito non admittendi decreta S. Sedis circa ritus Sinenses, neque constare nobis ullum alium e nostris tam enormis sceleris esse reum. Serio item proponimus, nihil in posterum diligentiae omittere, si qua aliquando opportuna occasio sese offerat ab illo eos consilio amovendi. Ubi tamen rursum sincerissimo cordis candore, ut filios ad Patrem loqui decet, profiteamur, hic et nunc de argumento illo vel mentionem ingerere, periculo non vacare, nisi coram iis, quos divini Spiritus motio valide iam inclinavit ad religionem nostram amplexandam.

3. Praeterea coram Deo et secundum conscientiam nostram testamur, nulla nostra instigatione aut cooperatione, saltem positiva, accidisse, ut tam D. Pedrinus quam DD. Appianus et Guiges custoditi detinerentur, quin aegre admodum nos sensisse, quando primo illi ob suammet culpam custodia, et quidem in Societatis quadam domo assignata fuit: carceris